De gravissimo et rarissimo capitis affectu caro disputatio inauguralis medica ... / [Georg Adam Dummer].

Contributors

Dummer, Georg Adam, active 1662-1665.
Schenck, Johann Theodor, 1619-1671.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Johannis Wertheri, 1665.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hsakka4m

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

ΣΥΝ ΘΕΩ.

27

De

GRAVISSIMO ET RARISSIMO CAPITIS AFFECTU

CARO

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

Quam

Jussu & Auctoritate Incluti Medicorum in Illustri Academia SALANA Collegii,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOHANNE THEODORO SCHENCKIO, Medicinæ Doctore & Theoretices Professore Publico celeberrimo, Domino Præceptore, Patrono simul ac Promotore suo omni animi veneratione æternùm prosequendo,

Pro SUPREMIS in Arte Medica HONORIBUS PRIVILEGIISque DOCTORALIBUS IMPETRANDIS,

Ad Diem 17. Octobris

IN AUDITORIO MAJORI

horis pro- & pomeridianis

Publico examini submittit

GEORGIUS ADAMUS Dummer/ Ratisbonensis.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI, 1665.

LIBERÆ. AC. ILLUSTRIS. REIPUBLICÆ.
RATISBONENSIS
CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS.
VIRIS. MAGNIFICIS. PERSTRENUIS.
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. CONSULTISSIMIS. PRUDENTIA. ET. RERUM. GESTARUM. GLORIA. EMINENTISSIMIS.
Ut. Et.
VENERANDI. IBIDEM. CONSISTORII.
PRAESIDI.
ET
ADSESSORIBUS.
VIRIS. MAGNIFICIS. PLURIMUM. REVERENDO. NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS. REVERENDIS. CLARISSIMIS.
EVERGETIS. ET. PROMOTORIBUS. SUIS.
SUMMIS.
DISSERTATIONEM. HANC. INAUGURALEM
HUMILI. ET. GRATA. MENTE
DEDICAT. ATQVE. OFFERT

GEORGIUS ADAMUS Dummer/
RATISBONENSIS.

CLARISSIMO

GEORGIO ADAMO DUMMERO RATISBONENSI,

pro

LICENTIA,

gradum MEDICINÆ ſummum adſumendi

publicam adſcendenti cathedram,

EUGE. BONUM. FACTUM.

adclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS

PHIL. & MED. D. PROF. PUBL.

SENIOR.

MActe tuâ virtute, tuisque ingentibus auſis: illuſtre quondam ſic eris patriæ decus.

Quam

QUàm varius juvenum mentes ſopor usque fatigat!
Tityrus hîc patulæ recubat ſub tegmine fagi;
alterius faciem modò mollis amaracus abdit;
lactucâ iſtius corpus Venus algida condit;
ebria quot vino pertundit tempora pinus;
Juniperi gravis eſſe ſolet cantantibus umbra,
ad lucem & multam comitatur dulce papaver?
Has metuens ſyrtes DUMMERUS præterit omnes,
excutiens cerebro CARUM, ſcriptoque venuſto
oſtendens medicam qui poſcat & optet opellam.
Gratamur tricis his te evaſiſſe. Celebris
qui tibi nunc confertur honor per ſecla vireſcat!

Ità precatur

PRÆSES.

ESt opus ingenio, ſuperas volitare per auras
qui velit. Excellens arte paratur honos.
DUMMERUS qui dum Doctoræ inſignia flagrat
quod vel utrisque valet charta tibi probat hæc.
Sit felix! multa vincens ætate Galenum
arteque, ſic illum Teutonis ora colet.

Clariſſimo Domino Doctorando gratulatur animitùs

Johannes Arnoldus Friderici
Phil. & Med. D. P. P. & p. t. Facult. Decanus.

PRO-

DEO DUCE ET AUSPICE CHRISTO!

PROEMIUM.

Uemadmodum caput, in corpore humano, dignitate & nobilitate omnes reliquas corporis nostri partes superat; ita præ reliquis quoque, calamitatibus atque ærumnis variis expositum est. Licet hoc non solùm in apoplexiâ, epilepsiâ & paralysi, sed in nostrô quoque videre affectu.

Hic enim, tantâ ferociâ, atrocitate tantâ in homines miseros sævit, ut non capite solùm, parte scilicet affectâ sit contenta, verùm proh dolor etiam! mentis sensuumque vires in corpore afficiat & corrumpat.

Quapropter cùm ita se habeat, gravissimusq; hic affectus, non verbis, sed herbis curari delerique velit, ut poeta loquitur:

Ars mutua est, nec fit morbi curatio verbis,
auxiliis Medici sed magis ager eget.

Sine ulteriorum verborum ambagibus, initium faciemus, atque jussu & auctoritate Gratiosissimæ Facultatis Medicæ, morbum hunc, præ cæteris & perscrutatu necessarium, & ventilationi dignissimum, publico eruditorum examini, loco Inauguralis Disputationis proponemus, ac pro virili tractabimus.

Cùm autem hoc citra divinum auxilium succedere nequeat, Deum ter Optumum ter Maxumum, qui non corporis solùm, verùm animæ etiam Medicus est, solicitis veneramur precibus, ut non hôc solum tempore, sed imposterum etiam, clementiam & benedictionem suam nobis largiri velit, quò omnis labor noster, in sui inprimis nominis sanctissimi gloriam, Doctorum & Ductorum meorum honorem, ægrotorum salutem & mei denique vergat & cedat emolumentum.

Caput I.

Cari etymologiam, synonymiam & homonymiam explicat.

Antequam propositam materiam adgrediamur, placet, & quidem melioris doctrinæ gratia, homonymiam, synonymiam & etymologiam præmittere.

HOMONYMIA. Torporis & Soporis nomine in *Genere* omnes somnolenti affectus, qui sunt *πάθη ναρκῶντα τὸ λογικὸν, καὶ τὸ μνημονευτικὸν*, affectiones stupefacientes, ratiocinatricem & memoratricem, comprehendi queunt. Hoc in sensu *καρώδεις* veternosi sunt Hipp. aut *κωματώδεις*, sumta scil. voce *καταχρηστικῶς*, ut notat *Ludovic. Duretus* in *Coac. Hippocr.* de *Hepaticis, cap. 18.* 2. Sumitur pro eo, qui fit ab ebrietate, *ut 2. Prorrh. Lud. Mercatus*, de *curat. morb. intern. lib. 1. c. 2.*

In *Specie* verò illum solummodò intelligimus, in quo somnus non modò longior & profundior est, sed præterea æger vocatus, non audit, & nisi punctus, vix sentit, ac, quamvis sentiat, non tamen loquitur, aut oculos aperit; respiratio tamen illæsa est, quo ipso, tanquam magis & minus, ab apoplexia differt, in quâ respiratio difficilis est & cum stertore. Hoc sensu accipitur ab Hipp. in *Coacis* cum scribit: *τὸ καρῶδες πανταχῇ κακόν*: *Soporari ubivis malum.*

SYNONYMIA. Quod malum Arabes Suboeth, suâ linguâ exprimunt, hoc Latinis Torpor, Sopor & Stupor: *Plinio* Gravedo: Gravatio *Aureliano*, dicitur. Græcis *κάρος*. *Gal. τοὺς ὑπνῶδεις καρωμώδεις Hippocr. ἀφώνους* nominare consuevisse innuit 5. *aph. com.* 5. Appositè ab *Aretæo πάθος ναρκῶδες* appellitatur, cum stuporem inducat. Germani einen tieffen Schlaf appellant.

ETYMOLOGIA. Carus origine Græca *ἀπὸ τῆς κάρης*, voce Ionicâ, quæ idem atq; *κεφαλὴ, caput*, hoc enim gravitatē & inexpugnabilē dormiendi necessitatē hanc patitur. Unde & Poëtis in usu, qui *καρήατα* & *κάρλω* dixere. Ab hac *καρηβαρία, καραστόμω*, quod est caput amputo, apud *Euripidem in Alcestide.* Adi sis *Joachimi Camerarii utriusque linguæ commentarium pag. 56. & seq.*

Medici, *inquit Duretus*, veteres *ἀπὸ τῆς κάρης*, i. e. à capite nomi-

nominarunt, occupati ex animadversione cerebri; quoties τὴν τοῦ φαντασικοῦ ἀπόλειαν ἢ ἔκλυσιν, id est, amissionem, aut exolutionem phantasiæ exprimere voluerunt. Est enim caros symptoma & signum phantasiæ exolutæ.

Caput II.

Cari definitionem ac rationem formalem proponit.

Definitur: quod sit cessatio sensuum cum internorum tum externorum, motusq; voluntarii, cum delatione in somnum longum, profundum, ægrèque excitabilem, sine respirationis detrimento. Vide *Nobilissimum Dn. D. Rolfincium, Præceptorem summè venerandum, Epit. meth. cognos. & curand. partic. corp. affect. l. 1. c. 5. pag. 21.*

FORMA seu GENUS PROXIMUM est cessatio omnium operationum animalium, seu cessatio sensuum cum internorum, tum externorum, motusque voluntarii, id quod *Galenus* confirmat, quando *de diff. sympt. c. 3.* dicit: Carus est τῆς φαντασικῆς ἀπόλυσις, *resolutio* nimirum *& privatio sensuum internorum & externorum, motusque voluntarii, respiratione tamen salvâ.* Omniũ autem clarissimè *Cal. Com. 1 in Hipp. lib. de articul.* κάρος τὸ πάθος μήτ' αἰσθάνεσθαι, μήτε κινεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον, ἢ ἀκολουθεῖν ἑαυτῷ πέπονθεν, ἀλλὰ τόνος καὶ τοῦ μνήμου, καὶ τοῦ αἰσθησιν ἅμα, καὶ τοῦ κατ' ὄρεξιν κίνησιν διέφθαρται. i. e. *Carus affectus est, ita ut neque sentiat, neque moveatur homo, neque intelligat, sed & rationem, & memoriam, & sensum & motum quoque, qui ex appetitione fit, corrumpit.*

Quamvis enim sopor gravis ab aliquibus pro genere ponatur, is tamen proximum non absolvit, cùm non quilibet sopor gravis, ut jam dictum, carus existat, nisi quis soporem strictè sumtum (i.e. altum, profundũ, gravẽ) & ablationem hancce operationum animalium ἰσοδυναμοῦντα fecerit, quomodo ab *Hipp.* in *Prorrh.* & *Coacis* sæpissimè factum, uti ostendit *Anut. Foësius* in *Oeconomia Hipp.* In quem modum loquitur *Celsus lib. 8. c. 4.* ubi de fractæ calvariæ signis agit, cùm ait: *Protinus requirendum, num conciderit, num sine sensu dormiens quasi jacuerit.* Vel à

conjuncto hoc ſomno graviori, ut *Rhaſes* ait, ſymptomate primario eundem quis definiverit.

Per *ceſſationem operationum animalium*, 1. rationis, phantaſiæ & memoriæ. 2. viſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus læſionem intelligimus cum *Galeno 4. de loc. affect. c. 2. & 2. acutor. aphor. 20.* neq; omnimodam neque phyſicam, ſed eam quæ depravata ac vitioſa, quo ad ſenſum, vel ſummè tamen diminutam, quâ ratione *Com. 2. in Prorrh. à Gal.* βαθὺς διέγερσις ὕπνος altus & excitatu difficilis ſomnus nuncupatur, vel oppoſitivè ſaltim, longioris ſ. n. intuitu, conſideratam.

Benè *Benedictus Sylvaticus l. c:* Negandum non eſt, aliquando ſenſus internos non eſſe prorſus deperditos, ſed imperfectos manere, ut contigit illi, cujus hiſtoriam deſcripſit *Fernelius 5. Patholog. 2.* qui in acceſſione ita erat ſopitus, ut nec pilorum avulſionem, nec punctionem ſentiret, & nihilominus excitatus, illa omnia cum furore retulit, quibus graviter excruciatus fuerat in ſopore. Scribit namque *Galen. l. c.* quando in carô hominem neque ſentire, neque moveri, neque intelligere, neque meminiſſe dicimus, tunc ita accipi debet, quod carotici non ſentiunt, nec moventur, niſi obſcurè, & confuſo quaſi judicio, dum videlicet objectò fortiùs feriente ac pungente, partem contrahunt, quod non fit in apoplexiâ. 3. *Motus voluntarii vox* ad differentiam naturalis in definitione à nobis addita fuit. Non enim quemlibet motum hic ceſſare & aboleri dicimus atque exiſtimamus, ſed animalem ſeu voluntarium, qui omnis labaſcit, & immobilis à trunco pendet. Unde iterum *Benedict Sylvaticus Conſil. & Reſponſ. Medicinal. centur. 1.* addit: *abſque ullo motu convulſivo partis alicujus determinata. Ad meliorem diſtinctionem à motu epileptico, qui non ſemper eſt convulſivus.*

Reſpiratio cur ſalva maneat, in Schola Medica quæritur. Nos dicimus hoc fieri duabus de cauſis.

I. ratione *neceſſitatis*, quia natura de hominis ſalute ſolicita, quicquid poteſt ſpirituum, ad muſculos thoracis mittit, & omnibus aliis motibus, quibus homo ſine mortis periculô carere poteſt, ablatis, reſpiratio, quâ homo ſine vitæ periculô carere non poteſt, quàm diu poſſibile, ſervatur.

II. ra-

II. ratione *actionis*, quia respiratio non simpliciter & absolutè actio animalis est, sed vitalis etiam, id quod ex thoracis & pulmonum motu videre est; non enim actionem in cerebrô, sed in pulmonibus habet, quod porrò pulsus, qui à facultate vitali, non verò animali perficitur, ostendit. Lege sis *Benedict. Sylvatic. l.c.* qui ex professo hoc thema tractat.

Cessatio hæc *an repentina esse debeat* quæritur. Adfirmativam tuetur *Galenus*, qui *5. aph. Com 5.* scribit: *κυρίως λέγεται κάρος ἡ παντὸς τοῦ σώματος αἰφνίδιος ἀναισθησία καὶ ἀκινησία. Carus propriè vocatur totius corporis repentina sensus motusq; privatio. Heinricus Petræus Dissertat. Harmoniacar. vij.* cum soporis apoplectici causas recenset, eorum facit mentionem, qui arteriis carotidibus & venis jugularibus obstructis culpam imputant, pro se citantes *Hippocr. 4. de victus ratione in acutis.* Ipse autem experientia *Galeni* fretus, qua *2. de plac. Hipp. & Plat. 9. & 4. de plac. 6.* ostendit, ligatis & interceptis arteriis carotidibus & jugularibus, hominem non repente motum sensumque amittere, minimè repentinam fieri ab ista causa apoplexiam propriè dictam, sed notham & *συμπαθικὴν* docet, ubi cerebrum non secus atque in syncope gravi per consensum afficiatur.

Johannes Riolanus Anthropograph. l. III. c. 9. arteriis carotidibus hunc adfectum à veteribus attributum fuisse, refert. E nostro inquit *Ruffus Ephesius lib. 1. c. 3.* seculo, non arteriarum sed nervorum sensoriorum adjacentium id vitium esse compertum est, quare si nomen mutare volueris non peccabis.

Ex *Aristotele lib. 3. de histor. animal.* venas jugulares, constricto collo, faciunt hominem concidere & sensu privari, atque palpebris clausis.

Ipse interim sciscitans: *an à nervo intercepto aut resecto, an potius à vena, quàm arteria obturata in morbis, nõ illaqueata* (quoniam *Gal. lib. de utilit. respirat. c. 5.* copiosè demonstravit, experimento facto in animalibus vivis, ex arteriarum jugularium constrictione nullo incommodo mulctari & affici) *dependeat*, credit arterias potius obstrui, quàm venas hoc in affectu. *Valverda*, subjungit ille, *in Anatome l. 6. c. 11.* testatur, publicè in theatro *Columbum* demonstrasse in adolescente soporem induci

duci ab arteriis carotidibus compressis aut obstructis, quomodo id factum fuerit non exponit.

Nos, salvo aliorum judicio, existimamus de caro symptomatico à forti & vehementi causâ, qualis est ebrietas *d. l.* percussio valida capitis, casus & præcipitatio ex alto &c. hoc prædicari posse, non verò de quocunque & à causa qualibet. In febribus enim soporosis, caro periodico, ubi sentiunt ægri initio caput circa frontem gravari, tinniunt aures, oscitare incipiunt, lassitudine corripiuntur, usque quo sensim & sensim in somnum prolabantur, à quo vix excitari possunt, priusquam vapores sint discussi. Talia obtigêre Admod. Reverendo isti ægroto, cujus meminit *Benedict. Sylvaticus in Consil. & Respons. loco citato.*

Cæterùm hic affectus morbus esse non potest, quia Ἀφέσεις παρὰ φύσιν non est, sed eam tanquam effectus sequitur: Morbi quoque causa non est, hæc enim morbum efficit, effectumque non ingreditur. Ergò meritò ad classem symptomatum, & quidem actionum nec naturalium, nec vitalium, sed animalium, læsionem scilicet plerarumque sensuum utpote cùm internorum, tum externorum, motusque voluntarii, pertinet.

Paracelsista confusè admodum soporiferos adfectus describunt. Eorum *Antesignanus §. 1, 7. de gutta c. 1.* per defectum synoviæ eum definit, hæc enim insensibilitatem & privationem motûs facit. *Quercetanus* per congelationem & fixationem spirituum. Non sunt re ipsâ placitis veterum contrarii. Videsis *Petrum l. c.*

Caput III.

Cari subjectum demonstrat.

FOrmali ratione, genere scilicet explicatô, ad materialem, subjectum nimirum, pergimus.

Est autem hoc duplex: Primarium & secundarium; hoc *caput*, illud *cerebrum* est: μάλιστα, authore *Trallianô lib. 1. c. 14.* καὶ τὸ ἔμπροσθεν μέρος τῆς κεφαλῆς, ὥστε καὶ τὰς αἰσθητικὰς αὐτῶν δυνάμεις, maximè in anteriore capitis parte, qua

quare etiam sensoriæ ipsorum facultates potissimùm lædunturᵕ.

Galenus 1. de loc affect. c. 2. hoc confirmat, dicitque sensu ac motu universum corpus privari nequit, nisi sensûs ac motûs principium cerebrum sit affectum.

PARS AFFECTA quænã sit, Medici inter se non unanimiter conveniunt. Reperiuntur nonnulli, qui certam partẽ, anteriores scilicet ventriculos, in quibus imaginationem locant: Alii cerebellum: Quidam posteriores cerebri meatus, qui ad spinalem medullam tendunt, & præprimis quartum ventriculum, ceu partes primariò adfectas, determinant.

Nos cum *Nobilissimo Dn. Rolfincio*, neque cerebello neque ventriculis, sed medullari substantiæ, principium spinalis medullæ quod appellatur, adscribimus. *Nervi* ad cerebrum pertinent. *Carotides κοινὰ ὄργανα* sunt, remotè hùc facessunt.

CAPUT IV.

Causam immediatam & mediatam subnectit.

CAUSA IMMEDIATA est *ἐπύρρυσις τῶν ἐνοεμῶντων εἰς τὰ κάτω τῆς κεφαλῆς*, spirituum animalium in organa sensus & motus influxus prohibitus.

Per organa sensus & motus quid intelligatur, ex nervorum declarabimus usu: nam spiritum animalem elaboratum in cerebrô motuque ejus ad medullam oblongatam & spinalem deductum, hauriunt & ad partes pro motu, sensu, nutritione que promovenda vehunt, id quod *Galenus lib. de dissect. nervor. cap. 1.* confirmat, dicens: *ὡς εἰ τμηθεῖ τὸ νεῦρον, ἄκινητόν τε καὶ ἀναίσθητον ἐξαυτίκα γίνεται τὸ μόριον, ὁμολογῆται πᾶσι τοῖς ἰατροῖς, quod inciso nervô, sensu ac motu statim privetur particula, ab omnibus concessum est medicis.*

MEDIATA PROXIMIOR est angustia cerebri & nervorum, quæ ab obstructione & compressione humorum vaporum &c. oritur.

Compressionis meminit *Trallianus lib. 1. cap. 14.* *ταῖς ἀναθλίψεσι ἢ συμφαίνῃ, τὸ σύμπτωμα τοῦτο, ἐὰν ἀμελῶς τις κεφα-*

κρατήσας, ὁμοιόν τι τῷ μηνιγγοφύλακι. ὅτω δὲ καὶ ὀστέον συνθλίβων σφοδρότερον μᾶλλον τῷ μέσῳ τῆς ἐγκεφάλου πιλήσῃ κοιλίαν, contusionibus accidit hoc symptoma, si quis meningis custodem nimis validè imprimat. Eodem modo, si quid contundens validius os, medium cerebri ventriculum comprimat. *Fernelius lib. 5. pathol. cap 2.* scribit: se vidisse quendam, ictu vehementi ac validô concidisse, ut sanguis ex oculis, naribus, auribus & ore emanârit, hinc totius mentis, sensûsque stupor invaserit, ut calvaria pertusa ac denuo obducta fuerit, omneque remedii genus, sine sensu inductum fuerit, sicque is tertio mense restitutus, immemor omnium quæ acciderant,

Mercurialis refert, se vidisse quendam, ab importunâ cranii perforatione factum caroticum, ubi scilicet in vulneribus inter perforandum vel eximendum os, membrana cerebri violatur, negligentius impressô instrumentô chirurgico, quod μηνιγγοφύλακα, appellant.

Obstructiones fieri possunt à crassis & frigidis humoribus in cerebrô collectis. Ita humor pituitosus & aquosus in cerebrô quantitate collectus, non cerebri solùm substantiam, sed ventriculos etiam opplet, atque principium nervorum obstruit, simulque spiritibus animalibus transitum præcludit.

Cùm frigus & mador unà conveniant & conspirent, ut caro fiat, quæritur: utra earum præpolleat. *Johann Stephani l. c.* frigus magis præcipuam causam esse putat, cui subsidio posteà eat mador, cum vigiliæ etiam principaliter ex calore enascantur. Caros etiam paroxysmos febrium sequitur, in quibus natura à materia suffocatur & obruitur, unaque spiritus ipsi obruuntur, ut fit in febribus à putrescente phlegmate. Nos existimamus cum *Jachino*, frigus humido juncto in producendo caro efficacius operari, neque enim frigus solùm resolvit, sed etiam exiccat. Consentit *F. Platerus Tom. prax. 1. c. 2. de mentis consternat.* qui perfrequentem causam cari pituitam pronunciat, dum largiter perfundit & refrigerat cerebrum.

An à sanguine descendere possit carus, negat *Jachin. in Com. ad Rhasen.* Alii, quos inter est *Jason Ziricaus*, adprobant. *Vid. Petr. Forest. Observ. l. 10. c. 38.* *Petrus Salius Diversus* in

Com.

Com. ad lib. 2. de morb. Hippocr. eum, qui ab ebrietate, tanquàm causa calida, provenientem, verum capitis stuporem non appellandum censet. Docet tamen experientia in soporosorum cadaveribus, aperta calvariâ, cerebrum sanguine extravenato, vasa item turgida inventa fuisse, uti in Secretario Vaseo cataleptico observavit *Jacob. Hollerius lib. de inter. mor. curat. 1. c. 9. in Schol.* Vide plura huc spectantia, apud *Wepfferum in observat. de apoplex.* & *Bernhard. Verzascham Exerc. de apoplexia.* Ἐπίκρισις est: si sopor accidat, capite ictu vehementi percussô, si apoplexiam sanguineam, si eam ab ebrietate in plethoricis corporibus is comitetur; si inflammationibus & febribus continuis succedat, nequit non peccare sanguis & causa fieri. Sanguis hic vel purus vel impurus abundare potest, pituitosus melancholicus, corruptus, in motu etiam peccans. A nimium agitato, non minus obstruuntur meatus, quàm ubi debiliter movetur aut quiescit. Adisis *m. m. Johan. Walæi* & *Disquisit. Thempeutic. B. Swalbii.*

Sanguinem serosum vasa cerebri distentantem, sinusq; contrahentem accusat *Nobilissimus Dn. D.* Præses, Præceptor summè honorandus. Testatur *Carol. Piso* in *observ. singul. morborum à serosa colluvie & illuvie ortorum*, in Catharina Go annorum 63. & habitus Κοιλίας, è febre comatosa redditâ caput post mortem apertum plurima scatuisse aqua.

Vapores immodici, crassi, nebulosi & narcotici, sive geniti in cerebrô, sive à ventriculo, intestinis, liene, utero, mesenteriô & pãcreate trãsmissi, manifesta aut occulta qualitate præditi. (*Vid. Felix Plat. l. c.*) ad cerebrum delati, cari causa esse possunt, quando spiritus animales aggravant & veluti caligine suffundunt, unde tota postea œconomia cerebri interturbatur. Sic in febribus intermittentibus sæpius spectatur carus. Sic ebrii profundô sopore à vaporum ex vinô & crudis alimentis elevatorum copiâ detinentur: sic pueri lumbricis laborantes caro afficiuntur, à crassis & copiosis vaporibus, ex crudorum & pituitosorum humorum copiâ elevatis: sic etiam in febribus nonnullis intermittentibus, sopor initio accessionis contingit, ob crudorum & putrescentium in venis humorum, præsertim mesarai-

cis contentorum copiam, qui à calore paroxysmi febrilis attenuati, multos vapores ad caput transmittunt, talemque sopor-rem inducunt, qui interdum cessante frigore vel rigore cessat, interdum usque ad finem paroxysmi permanet, prout vapores crassiores aut tenuiores, magis aut minus copiosi, facilius aut difficilius discutiuntur.

Ad mediatas à nonnullis proximas, distinctim reducuntur *spiritus animales*, quatenus aut deficiunt, aut impuri sunt. *Vid.* citatus jam *F. Platerus*, quod tamen, cum vitio potius fiat sanguinis tanquàm materiæ è qua generantur, culpaque alterius, nos ad humores & vapores cum plerisque referimus.

Scheunemannus in medicinâ reform. c. 7. sopores refert ad sulphur resolutum immoderatius luxurians, narcoticos & soporiferos inducens affectus, quos suscitat & narcoticâ vi & inebrietate, quâ stupidos, sordidos, oblivioso ægreque excitabiles reddit.

Quercetanus Tetrade. affect. capit. 11. dum non frigidis & crassis humoribus solùm, sed etiam nebulosis exhalationibus causam hujus affectus ascribit, vitriolatis & coagulandi vim habentibus, à Dogmaticis non dissentit.

Alii mercuriales accusant, qui adminiculo salis hoc præstant. Sed hic effectus non est frigoris, cum Mercurius in se contineat ignem potentissimum, qui flammæ infernali à *Paracelso* comparatur, in *Cœl. Philosoph.* Igitur potius substantificis debetur effectus hic principiis, probabileque est, ut scribit *Petræus*, mercurio, qui à calore excitatur, avolante, sulphuris narcoticos fumos relictos & aliis impuritatibus mixtos suffocare spiritus.

Quemadmodum *Helmontius* in omnibus morbis, ita etiam in hoc, archæum suum à narcoticis venenosis, & animæ sensitivæ exitialibus impuritatibus materialibus, sordibusvé excrementitiis turbatum & ligatum *Tract. demens Idéa*, tanquam veram ac genuinam accusat causam.

Sengwertus mali hujus vitium esse dicit fermentationem vitiosam.

Alii dispositionem spirituum animalium, atque pororum cerebri constitutioni contrariam, quæ in vigilantibus est, propo-

po-

ponunt, ut ſunt *Carteſiani*. Exegeſin legeſis *in Tractat. de Homine* apud *Renat. des Cartes.*

CAPUT V.

Cauſas remotiores naturales, non naturales, & præternaturales exhibet.

A Cauſis mediatis proximioribus, ad *remotiores naturales, non naturales*, ac *præternaturales* jam progrediendum eſt.

An *à cauſis ſupernaturalibus, dæmone, faſcinis* carus inferatur, & quomodo, licet Practici harum quoque meminerint ex *Apuleio* & *Homero*, *Scientiæ naturalis* Profeſſoribus indaganda relinquemus.

NATURALES ſunt *temperamentum*, frigidum & humidum, atque *ætas ſenilis*. Tali temperamento prædita erat religioſa illa apud *Foreſtum l. X. obſ. 38.*

NON NATURALES ſunt *ſex res non naturales*, ſubſtantiâ, quantitate, qualitate & utendi modô peccantes.

AER *frigidus*, qui humores incraſſat, longos morbos parit & deſtillationes facit. *Heurn. l. 7. Inſtit.* *humidus*, qui catarrhos movet & fovet. *Trincavell. lib. 2. conſil. 10.* *craſſus*, qui ſpiritus animales & vitales obſcurat, ſanguinem & humores denſat & labefactat. *Fernel. lib. 1. path. c. 3.* *pluvioſus* & *nebuloſus*, qui ſpiritus tenebricoſos facit, quo poſtea non benè difflari poſſint.

Pertinent huc: *algores*, *imbres*, *glacies*, *nix*, *venti boreales* & *aquilonii*, tùm *auſtrales* ſub hiemem flantes. *Infauſtus ſiderum adſpectus. Galen. Com. in Prorrhet. Hippocr. 2.* inhabitationem locorum ſubterraneorum, illuminationem radiorum lunæ addit, maximè capite repletô, vel catarrhis obnoxiô, magisque ſi lunæ radii cameræ foramen intrent, quod ob nimiam humiditatem ejus contigit, docente *Avicennâ*. Ita hieme aſperâ ædes ſacras frequentans carotica facta mulier religioſa iſta apud *Foreſtum l. c.* *Epidemicam* hanc paſſionem *Achilles Gaſſarus* teſtatur *epiſtola* ad *Geſnerum*, memorante *Schenckiô lib. 1. Obſervat. p. 67.*

CIBUS frigidus, craſſus ac flatulentus, qui difficile con-

coquitur, multos flatus generat, & naturâ caput gravat, ac vaporibus replet. *Solenand. sect. 1. consil. 2. & 10.* ex leguminibus, fungis, carnibus induratis.

Huc referuntur *medicamenta*, papaver, opium, tabacum, mandrogora, ut scribit *Dioscorides de re medica l. 4. c. 74.* etiam olfacta.

A *medicamentis narcoticis* nimiâ copiâ assumtis, somnus ita profundus excitatur, ut multi ex imprudente opii usu in somnum perpetuum demersi fuerint; talis etiam vis narcotica, in quibusdam animalibus reperitur, ut in torpedine: sic ex morsu aspidis soporem lethalem induci refert *Plutarchus* in Cleopatræ interitu. Quomodo sopor à *carbonibus accensis* fieri possit, lege sis *Donat. Marcell. Historica Medica* mirabili *cap. VI.* Idem efficiunt *camerae noviter calce incrustatatae.*

Mercurialis refert exemplum, nimirum Sabæos populos incidere in hunc morbum ex odore & fragrantiâ fructuum & florum apud eos nascentium, & curari suffitu bituminis & barbæ hirci.

POTUS *multus*, qui nervis ac cerebrô nocet. *Galen. com. 3. in lib. 3. de popul. morb.* *Vina minus defecata*, mustum, mulsum, fortia etiam, aromatisata. *Cerevisia lupulata* nimium, & cuilolium admixtum, præsertim si nimium bibatur. Vinum musteum inflat & fervet in ventre. *Hipp. l. 1. de diæta.* Ista cum surgit nebula, scribit *Joh. Antonides* van der Linden *in select. X. §. 27.* ebrietas somnum, mox cum urget sopor obrepit. Hic est, quem propriè Græci κάρον vocant. Nam & impropriè appellant medici carum, qui isti omnia similis est, excepta causa. Mecum facit *Causabonus* ex *Athen. 21. 9.*

SOMNUS *excedens* sensuum mentisque vires corpore debilitat, calorem obtundit, spiritus offendit & obnubilat, functiones animales & naturales infringit, atque crudos humores accumulat. *Martin. de morb. mesenterii.*

VIGILIÆ *immodicæ* vires corporis labefactant ac perdunt, cruditates pariunt, cerebri & sensuum functiones debilitant, naturales autem imbecilles reddunt, universum denique corpus resolvunt & siccant. *Fuchsius instit. lib. 2. sect. 4. c. 7.*

Ab

Ab his carus quomodo producatur, *vid. Ægineta lib. 3. c. 11.*

MOTUS *intempestivus* vires prosternit, corpus languidum reddit, calorem nativum extinguit & appetentiam debilitat. *Joel. lib. 2. med. sect. 4.*

QVIES *superflua* calorem debilitat, superfluitates retinet & aggravat. *Arnold. de Villa nova doct. de conserv. memor. aphor. 13.* Ad hunc fontem *Balnea* reduci possunt, quæ spiritus demulciendo animales soporem inducũt & caput humiditate replent.

EXCRETA & RETENTA coctiones perturbãt, unde noxii caput ferientes ascendunt humores. *Martin. de morb. mesent.* uti suppressio mensium, hæmorrhoidum, narium hæmorrhagiæ consuetæ, sudor inhibitus &c.

ANIMI PATHEMATA naturalem corporis statum obterunt, sanguinẽ & spiritus vitiant, facultates & functiones pervertunt, animum è statione dejiciunt, varios & numerosos affectus infligunt & ad mortem sæpissimè præcipitant v.g. animi perturbatio, iracundia. *Georg. Bertin. l. 8. med. c. 22.*

PRÆTERNATURALES sunt *vulnera, contusiones & ictus capitis*, quæ etiam actiones animales turbare possunt, id quod *Fernelius* probat *lib. 5. pathol. c. 2.* dicens: fiunt prætereà & soporosi affectus cerebrô ictu vel casu vehementius concussô.

Ab *epilepsia* carus quandoque oritur, cujus etiam paroxysmum solvit. Exemplum recitat *Hieronymus Capivaccius* juvenis cujusdam, in consilio à *L. Scholtz. edit. 45.*

In *febribus* etiam & *inflammationibus* spectatur caros ἀπυρόμορφος. *Videatur Forest. l. c. observ. 39. Fernel. lib. 5. Pathol. 2. Avicenna l. 3. Tract. Fen. tr. 4. c. 1.*

Carum in febre sanguinea observavit *Amat. Lusitan. curat. medic. cent. 11. c. 24.* In *Scholiis* addit: diuturnis & vehementissimis febribus succedere, unde *Aetii* sententiam approbat.

Ex *cranii fractura* carum iterum adnotavit *Forestus observ. l. c. 40.*

A *dolore capitis. Hippoc. 4. acut. 23. Jonstonius Idea Univers. Medic. Pract. l. 8. c. 7. art. 3.* A *vertigine* iterum *Forest. l. c.*

A *compressione* cranii ab incauta trepanatione, recensente

Zacuto Lusitano Prax. Histor. lib. 1. pag. 173. hac ipsa enim iter spiritibus præcluditur animalibus. De hac causa intelligendus *aphorismus Hipp. 58. l. 7.*

Post *vomitum* pituitosæ materiæ per totam hyemem mulier quædam somnolenta evasit, quæ triduo post ad se rediit, adnotante *Joh. H. Smetio Miscell. medic. l. 10.*

Caput VI.

Cari differentias exhaurit.

DIFFERENTIA ratione *Generis*. Carus *alius* est *legitimus & verus*, *alius illegitimus seu spurius*, *alius intensus*, *gravis & confirmatus*, ubi omnes actiones animales, alius *remissus*, *levis* & *incipiens*, ubi non omnes cessant, dicitur. *Alius sine febre*, *alius cum febre*; *primarius*, *symptomaticus*, *malignus*, *benignus*.

Subjecti ratione *alius* fit per *essentiam*, qui *idiopathicus*, & generatur in ipso cerebro, *alius* per *consensum*, qui *sympathicus* vocatur, nutriturque ex ventriculô & partibus aliis.

Causarum ratione, tot mali hujus differentiæ constitui possunt, quot causæ hunc effectum producunt. Secundum *Galen. 4. de loc. aff.* *alius* est ab intemperie frigida & humidâ cerebri, à pituitoso humore: *alius* à musculi temporalis compressione: *alius* à valida cerebri perfrigeratione, in acutis morbis accessionum initio: *alius* à compressione anteriorum cerebri ventriculorum & ejus membranæ, ex casu præcipiti: *alius* à doloris sævitie. Addendum: *alius* à *medicamentis*, venenis, fumô, dissipatione & defectu spirituum, obligatione carotidum, evacuatione nimiâ. *Alius* ab ebrietate, animi consternatione.

Caput VII.

Signa diagnostica & prognostica delineat.

SIGNA DIAGNOSTICA petuntur vel ab *essentialiter morbo inhærentibus*, vel quæ *ex necessitate* ea *insequuntur*. Horum alia sunt *generis*, alia *subjecti*, alia *causæ*.

Gene-

Generis ratione, in *vero legitimo & perfecto* adest gravis & perpetuus somnus, quo qui corripitur veluti mortuus & caudicis instar cubat, ut nullos fragores nec inclamationes, quamvis stentoreas, audiat. Si forte tamen expergiscitur, palpebras difficile attollit & protinus in soporem delabitur. Oculi sunt clausi, & si pungatur respondet quidem, sed oculos non aperit æger; *pulsus* adest debilis & parvus, respiratio adhuc libra, nisi causæ vehementia alteretur & stertorosa fiat; abest febris *Gal. 13. m. m.* quanquam *Possidonius* apud *Aætium l. c.* lentam adstruat. Addunt aliqui, quod carotici dissipatâ & assumtâ materiâ perfrigerante cerebrum obstruente nervos & ligante spiritus, ad pristinum redeant statum. In *spurio & imperfecto*, quædam horum desunt, febris adest, comitantur eum signa comatosorum, catalepticorum, apoplecticorum, vertiginosorum, hystericorum, syncopticorum.

Ab his autem distinguitur. Nim. à *lethargo*, quod hic semper febrem habeat conjunctam, quæ semper mitis & sequens, ægri etiam lethargici respondeant. Ab *apoplexia*, quod in hâc semper lædatur respiratio, neq; excitentur ægri, nisi solvatur morbus; repentina fiat omnium actionum animalium abolitio, afflicta unâ respiratione. A *catalepsi*, quòd subitò hæc homines invadat, motus plus afficiatur quàm sensus, ita rigida sint membra, ut ne inflecti possint, quemadmodum *Buchananus* refert, quendam in mediis scalis adscendentem subitò stupore correptum adeò gradibus adhæsisse, ut nec ullâ ratione divelli potuisset, sicq; sequentibus viam præclusisset. Ab *hysterica passione*, quod hôc affectu detentæ mulieres nec quicquã loquantur, alacrius oculos attollant, & citò desinat vel ad salutem vel mortem. A *syncope*, in qua adsunt pulsus obscuri languidi, facies adest cadaverosa: in caro pulsus sanorum similis, vel magnus, validius, faciei color floridus conspicitur. Ab *epilepsia*, quod motus absit convulsivus. In *incipiente* præcedit dolor, capitis gravitas, tinnitus aurium, propensio in somnum oblivio, lassitudo corporis, oscitatio, quousque penitus cessent sensus & consopiantur. *Vid. Forst. Dodon.*

Subjecti ratione, carum per *essentiam* designabunt cerebri intem-

intemperies frigida vel humida, suppressa cerebri per nares, palatum, aures, evacuatio ordinaria; præcessit morbus aliquis capitis, dolor, contusio, vulnus, phrenitis &c.

Per *consensum* qui fit patefacient ægri, qui vapores adscendentes in caput & soporem inducentes se sentire adfirmabunt, aderunt inflationes ventriculi, murmura intestinorum, à sumto cibo affectus ingruet, præcesserit ebrietas & repletio stomachi; aderunt ructus, oscitationes crebræ, adfectus sua habebit intervalla lucidiora. Quod si *hepar, lien, uterus, pancreas* intemperie aut obstructionibus suis causa fuerint, horum signa ab actionibus læsis, excretis & retentis, tum qualitatibus mutatis petenda affectum manifestabunt. Aderunt urinæ tenues, crudæ, evacuationes consuetæ suppressæ, de dolore, tumore inflammatione dictarum partium conquerentur. Si *à totô*, ægri vel plethorici, vel cacochymici erunt: quorum signa ex suis locis erui, hucque referri debent.

Causarum ratione. A *pituitosis humoribus* in cerebro stagnantibus soporosos affectus, earum inprimis, produci testantur habitus pituitosus, ætas senilis & puerilis, regio & tempestas frigida ac humida, consuetæ per os & nares pituitosæ excretionis suppressiones, pulsus sunt molles, effæminati, undosi. Lurida pallent ora, caput torpidum gravescit, tumescunt palpebræ, frigus tactu percipitur, præcessit victus generandæ pituitæ aptus. Si à *sanguine*, soporosum hunc affectum generare significabunt plethorica dispositio, rubor faciei atque dolores capitis tensivi; venæ præsertim jugulares prominent, oculi rubent, æstus circa caput insolentior, urina magis tincta aurea, pulsus major; hæmorrhagia suppressa fuit consueta.

Si à *serosa colluvie*, serosorum animadvertent humorum proventum, æger catarrhis erit obnoxius, saliva & urina copiosior profluet, feces erunt liquidiores, sudor inhibitus.

Si ab *inflammatione*, *phrenesi*, *febre*, *peripneumonia* tunc aderunt affectuum horum signa.

Si ab *ebrietate*, non opus erit testibus.

Si à *narcoticis ingestis* aut aliis καρηβαρίας inducentibus, comparandus morbus cum illorum viribus est. Juvabitur æger alexiteriis & specificis adhibitis.

Si

Si à *plagâ, casu*, vel ægri vel adstantes hoc edisserent.

Si à *causa occultâ & epidemiâ*, plures malum hoc unô tempore eodem modo afficiet, similibus curabuntur remediis, aut si moriuntur, similibus symptomatibus corripientur.

Plura vide apud *Avicenn. l. c. cap. 2*

PROGNOSTICA alia *salutem & mortem*, alia *brevitatem & longitudinem*, alia *modum eventus* cari detegunt.

SALUTIS & MORTIS ratione *generis*. Affectus periculosus est, & quò major & profundior, à quo æger difficilius expergiscitur, eò majus vitæ periculum portendit. Periculosior tamen est, qui apoplexiæ est finitimus. Periculosior symptomaticus, quam criticus. Quod innuere videtur *Gal. 3. Progn. Com. 3.* cum inquit:

Comatosus affectus acutô morbô superveniens, valdè periculosus est, vel enim caloris nativi extinctionem significat, vel malignam & venenatam qualitatem ostendit, quæ in febribus malignis & pestilentibus cerebrum plerumque solet impetere. inquit Riverius

Gravissimus est cum febri continuâ, ob affectæ partis dignitatem & nobilitatem. *Aliquando pueruli per profundiorem longioremq; somnum, celeres in melius facere mutationes, ita ut criticæ evacuationis vicem ipsis subeat.*

In vigore febrium validissimum designat morbum, & ex virium languore descendit, ut in Hermocrate apud *Hipp. 3. Epidem. 1.*

Immô, ut peritè judicat *Prosper Alpinus* de *præsagienda vitâ & morte ægrotantium*, quò graviores comitatur affectus, eò gravius periculum importat.

Nullius curationis dicitur *Jonstonio* si in febrium continuarum declinatione accidat. *Difficilior* quo gravior læsa *respiratio*. Periculosior qui repentè accidit & citra causam manifestam.

Subjecti ratione, sympathicus, qui à vaporibus elevatis, & consensu partium inferiorum oritur, minus periculosior idiopathico, qui per essentiam fit. Deterior qui substantiam, quam qui cavitates & meatus affectos tenet. Difficilior curatur in-

ſene quàm in juvene. Item ſi nervis admodum eſt in pactus humor. Periculo plenus ſi à vulnerato muſculo temporali. *Hipp. lib. de artic. Si à maxillâ infernâ utrinque luxata, ibid.*

Cauſarum ratione, quò magis ad frigiditatem vergit, eò majus metuendum periculum eſt, id quod in ſenibus videre licet, ubi affectus noſter ut plurimum lethalis eſt, cum ob caloris nativi inopiam, tum ob debilem facultatis expultricis expulſionem. Melior à ſanguine. Deterior à plaga & ictu vehementi, ut ab ictu lapidis, unde calvaria fracta. A vertigine ſubitaneâ. *Vid. Foreſt.* A veneno, morſu ictus venenatæ feræ periculo non vacat, cujus idem meminit *Foreſtus.* A frigore externô facilius reſtituitur.

LONGITUDINIS & BREVITATIS. Morbus noſter longus eſſe nequit, quia cerebrum viſcus nobile, truculentiam hanc diu ſuſtinere non poteſt. Ad aliquot dies tamen perdurat. Qui periodicas habet invaſiones, curatu tardior exiſtit.

MODI EVENTUS ad *ſalutem* terminat viribus vitalibus non proſtratis. Vel ſi ſenſim remittit per hæmorrhagiam narium in cauſa ſanguinea, per dyſenteriam & ſudores in pituitoſa & ſeroſa. Ad *mortem* tendit virium diſſolutione & ſuffocatione, maximè repentinâ. Rarò in paralyſin degenerat. Lethalis ſi in pleuriditem aut peripneumoniam deſinit. Qui febri citantur caro intereunt & convulſionibus corripiuntur. Si fuerit cum defectione vocis, convulſionem minatur. *Hipp. in Coac.* In epilepſiam deſinere, obſervavit *Dodonæus.* Quandoque ut catoche in lethargum, ita lethargus in carum tranſit, ceu obſervavit *Dodonæus in Exempl. obſ. Medicinal. c.7.* Ex epilepſia febris continua, ex hac autem carus profundiſſimus lethalis ſubortus, apoplexiæ ſimilis, in nobilis viri uxore, Everhardi à Fleisheim adnotatus reperitur ab *Heinrico Smetio Miſcellan. l. X.*

CAPUT VIII.

Curationem, quæ triplici indicationum genere abſolvitur, ſuggerit.

HActenus naturâ cari, genere, ſubjectô, cauſis, differentiis, ſignis diagnoſticis & prognoſticis conſideratis, unicum reſtat

ſtat ut ad curationem, principalem & utiliſſimam medicinæ partem, accedamus, non enim ſufficit, morborum variorum, ut & cari naturam, genus, ſubjectum, cauſas, differentias, ſigna diagnoſtica ac prognoſtica inveſtigare, ſed etiam illum ex corpore humanô extirpare, atque ſanitatem labefactatam reſtaurare.

Curatio cari cum ſoporiferorum affectionum medicatione in quam plurimis coincidit.

Trallianus l. c. ubi de lethargô tractat, ſub finem capitis addit: πάλιν δεῖ ποιεῖν καὶ ἐπὶ τῶν ἐρχόντων κάρον ἴασιν. Οὐ γὰρ θεραπεία πολύτι διήλλακται, οὐδὲ ἡ αἰτία.

Ejusmodi curatio (lethargicorum) *etiam in his, qui veternosô ſopore, quem caron vocant, premuntur, tentanda eſt. Neque enim ea multum variabit, neque cauſa.*

Galenus XIII. m. m. 20. affectibus qui pervigiliis opponuntur, curationem contrariam adhibendam docet, quos nomine etiam appellat altos ſopores, ὑποπληξίαν & κάρον, & καῦχας *Græcè.* ſcil. *vim ſopitam excitare*, ac noxii humoris, qui citra putredinem eſt, & citra febrem altos ſopores invehit, craſſitudinem incidere atque excalefacere. Unde naribus thymum in acetô coctum affricare jubet. Palatum valentibus & acribus ungere, ſternutamenta adhibere, cucurbitulas admovere ſi diuturnus ſit affectus.

Nos METHODO MEDENDI principiis innixi, quæ ſunt *indicationes* & *auxiliorum materia.*

Θεραπευτικὴ, CURATORIAM, verſari dicimus, non modò in alteranda cerebri intemperie, obſtructionibus reſerandis, cerebro per appropriata roborandô confortandôque tùm quæ ſpecificè huic malô adverſantur, ſique *febris adeſt, vulnus, ulcus*, per contraria delendo: verum inſuper etiam, in ſymptomatis perniciosi, quod urget, ablatione citiſſimâ, id quod communiter à Medicis *curatio in paroxyſmo* nominari conſuevit.

Προφυλακτικὴ, PRÆSERVATORIA *extra Paroxyſmum* locum habet, quæ incremento humorum peccantium occurrit. Fluentes à capite revellit; adſcendentes vapores avertit. Qui influxerunt, evacuet; ſi in toto redundant, per alvum, ſudorem, urinam; ſi in parte conſtituti per uterum, os, hæmorrhoi-

rhoides, nares, palatum exterminentur. Quò etiam partium generantium, mandantium & recipientium intemperies corrigendæ, reductivè pertinent. Si vermes adsunt, ut enecentur & expellantur: Si aura vel vapor crassus, fœtens, frigidus, vel malignâ qualitate peccet, ut per attenuantia, discutientia, quæ suavem odorem habent, calefaciunt & proprietate peculiari iisdem adversantur.

Utrisque ζωτικὴ, VITALIS, in auxilium venit, tùm rerum sex non naturalium, tùm medicamentorum alterantium & corroborantium usu legitimô virium custodiam agens, calorem vitalem per similia conservandô, sanguinem bonum procreandô, ut inde balsamus naturalis, spiritusque cum eo animales mechanici instaurati, voluntatis per sensus & motus organa imperium exsequentis animæ munus suum incorruptè expedire valeant.

Materia auxilii ex triplici auxiliorũ fonte usitatô desumenda: *Chirurgicô*, *pharmaceuticô* & *dietetic*ô, indicationibus & agendis tàm in *paroxysmô* quàm *extra paroxysmum* consurgentibus satisfacit.

Caput IX.

Auxilia, eorundemque materiam & administrandi modum in paroxysmô adducit.

PAROXYSMI seu ACCESSIONIS TEMPORE, *Galenô* suadente *12. meth. med. c. 2.* illis est obviam eundum, quæ magis urgent. Urgent maximè lapsus & defectus spirituum animaliũ, atq; motus voluntarii, qui non aliter atque excitatione à somnô profundô, vigiliarum inductione & refocillatione spirituum animalium curari desiderant.

Materia, quæ his scopis subveniunt, variæ sunt.

I. ex Fonte CHIRURGICO. V. SECTIO locum habebit, si est ab interceptione venarum, si ab ictu, percussione validâ capitis, sicque repentè ingruat, teste *Gal. 4. aeutor. t. 23.* metu præfocationis, ut iterum is docet: Vel si æger fuerit plethoricus, vini potio nimia generosioris præcesserit, maximè sub æstate, in regione calidâ, prout has conditiones recenset *Jacchinus in cura lethargi. l. c. in com. in lib. IX. Rhas.*

Seca-

Secari potest *mediana*, *cephalica*. Qui ad ἐνθυώρεσιν vasorum respiciunt, & dextra dextris, sinistra sinistris consentire arbitrantur, modò in dextro, modò in sinistro brachio sanguinem proliciunt. Alii, motum sanguis circulatorium attendentes, hoc negligunt, & in utroq; magis conspicuam eligunt, dum modò membrum alio morbô non sit affectum, quod eam non admittat. Communiter *cephalicam* Veteres eligerunt, cujus tamen cum capite consensum peculiarem rejectant recentiores, cum nulla inter hanc & vasa capitis ἀναστόμωσις ordinariè intercedat, uti demonstrat *Job. Riolanus in Anthropograph.*

Actuarius jugularium sectionem commendat, si à sanguine sensus veluti detineantur *l. 3. m. m. c. 1.*

An ARTERIOTOMIA possit in medium vocari, nulli dubitamus, cum potentius avertat & revellat peccantem sanguinem, dummodò à peritis instituatur & tempestivè exerceatur. Lege sis. *Marcum Aurelium Severinum* hoc de problemate *Lib. de Efficac. Medicin. 1.*

Quantitas sanguinis è vena prolecti mediocris esse debet. An autem interpolatis viribus hæc extrahenda, vires ægri causæque notatæ indicabunt. Facienda ampla plaga, cum sanguis sit crassior.

Tempus necessitatis diem & horam cum urget affectus, admittit omnem, sive noctu sive interdiu in carum quis incidat, dummodò prohibentia non adfuerint, permittentia verò plura adsint.

CUCURBITULÆ *scarificatæ*, qui v. s. reformidant & illis sunt adsueti, commendari possunt, ut revellentes & venæsectioni vicariæ.

De Ludovic. Septali consilio pone aures applicari possunt. *Rhases* cucurbitulam magnam cum multâ flammâ *sine scarificatione* humeris applicare solet. Fieri hoc volunt, non ratione sanguinis, sed quia dolorem inferunt, ut indè æger à somno excitetur.

Nonnulli supra ulcera scarificata ponunt sal & muriam.

CAUTERIA actualia, nihil proficientibus reliquis, laudant *Mercurialis*, *Massaria in Praxi*, & *Zacutus Lusitanus*. Valet

let *sartago ferrea calefacta Rhasis*, & multoties capiti admota.

VESICATORIA fortia idem efficient vertici apposita.

Proderunt FRICTIONES in dorso & pedibus *aspera*; si somnus profundior, ad rubedinem usque.

Trallianus ol. laurino aut rutaceo manus prius inungit. Panni adhibendi asperi.

LIGATURÆ possunt fieri in extraneis partibus, revulsionis gratia, fortes debiles, ut inde excitetur æger.

VELLICATIONES & PUNCTURÆ aurium, pilorum, narium, quas *Aurelianus l. 2. acut. 4.* solus fere improbat, efficaciam suam in excitandis ægris satis manifestam reddunt, *Avicenna l. c.* omnia quæ contristant animum in sensu extinctô revocando plurimum prodesse scribit.

II. Ex PHARMACEUTICO, VOMITORIA laudat *Avicenna* cum penna & sinapi. *Hieronym. Mercurialis* de horum usu dubitat. Existimat enim adeò esse somno sepultos, quo minus possibile sit ad vomitum provocare. Sæpe tamen sponte natura vomitum instituit, ut in caroticis ab ebrietate. Existimamus tamen usque adeò ea fugienda non esse, cum & extremis morbis extrema remedia optima sint.

Jacchinus Com. in Rhas. oxymel scilliticum & sinapi, decoctum nepetæ & thymi commendat. *Riverius Prax. med. l. 1. c. 11.* comate effectos pueros ⊖le ⊕li vomitivo promtius & tutius, quàm ullo alio remedio liberari scribit.

Tinctura nicotianæ cum aq. vitæ extracta. & ad. ʒij. cum melle excepta in os infusa potenter educit.

CLYSTERES ubi acriores fuerint, potentius evacuando revellunt. *Riverius in Praxi* initio laxante utitur, demum forti. Nonnulli clysteres V. S. præmittunt, quas tutiores ideò censet *Riverius*, post fortiores subjungit, quibus etiam *infus. croc. metallor.* vel *aq. benedict. ad ℥ij. vel ℥iij.* addit.

℞. *Rad. alth. angel. lil. alb.* *curial.* *an.* *Mj.*
an. ℥ß. *Flor. lil. convall. stœchad. a-*
Herb. rut. puleg. mer- *rab. lavend. ana. Piij.*
Sem.

Sem. cartham. anis. fœnicul. a. ʒiij. prun. Damas. N. vij. coq. in f. q. aq. fontanæ. Colat. ℞. ℥x. in hac *dissolv. elect. hier. pier. cum agarico* ℥j.

Olei rut. expreß. *chamamel. a.* ℥j.
Salis com. ʒß. *M. f. Clyster.* S. Clystier.

vel:

℞. *Decoct. emollient.* ℔j. *Aquæ benedict. turbidæ* ℥iv.
Electuar. diaphœnic. ℥j. *M. F. clyster.*

Usus horum repetendus, manè, vesperi, siqúe non redduntur.

SUPPOSITORIA locum habebunt usualia, quæ in officinis prostant. Fortioribus ubi opus est, species purgantes addi poterunt. Desperata res est, ait *Riverius*, si statim rejiciantur, ob resolutionem spirituum. Interdum planè non redduntur, ob sensum planè ablatum. Vidit hoc *Nobilissimus Dn. D. Præses* in forti apoplexia detentis, quibus alterâ ab obitu diu, sensim effluxere.

SUFFIMENTA graveolentia à nonnullis laudantur, quæ tamen ab aliis rejiciuntur, cum cerebrum valdè repleant, & spiritus animales obtenebrent. In horum locum naribus adhibenda *puleginm, rutæ, serpillum, hyssopus, origanum, semen nigellæ &c. Hæc omnia* cocta in aceto, addita patticula castorei, cum fructu exhiberi possunt.

℞. *Radic. angel. zedoar. a.* ℈ij. *castor.*
Sem. nigell. ʒj. *camph. a.* ℈ß.
baccar. laur. ʒß. *concis. & contus. M. f. Nodulus ex sindon. rubr.* S. Riechbüschel. Nonnulli galbanum & castoreum aceto madefactum naribus admovent.

Quemadmodum ERRHINA in multis, inprimis autem frigidis capitis affectibus, ita etiam in hoc conveniunt.

℞. *Pulv. majoran. Pij.* *castor. gr. vj.*
lil. convall. Piij. *olei anis. succ. a. gutt. ij.*
sem. nigell. ʒß. *M. f. Pulvis* S. Nießpulver.

Alii præsens remedium esse censent *pilul. cochiar. ad* ʒj. *in aq. vitæ* dissolutæ.

Horum usum, ubi diu perseverat affectus & æger difficulter excitetur, commodissimum censet *Riverius*. Monet tamen diutius non esse in eis persistendum, ne caput repleant, humores com-

commoveant & fundant. In initio minus tutò, cum & levior affectus in apoplexiam interdum degeneret.

APOPHLEGMATISMI ad fauces retrahunt peccantem pituitosum humorem. Illiniri debent fauces theriacâ *in aq. vitæ*, aut *apoplecticâ* soluta. *Oxymel scilliticum* prodest.

INSENSIBILITER DISCUTIENTIA sunt IRRIGATIONES & CAPITI LUVIA, Valet ad excitandum, si facies & oculi, cum posca sive acetô & aquâ humectentur.

LOTIONES parari possunt ex *lixivio* acri, in quo decoquantur *laurus, juniperi bacca, rorismar. puleg. origan. ruta, calamenth. herb. paralys. thym. absinth.* Excipiantur linteo duplicatô, & capiti, tum pedibus sæpius applicentur; abstergantur eo brachia & crura.

BALSAMA naribus ac temporibus illita multum conferunt ad ægri salutem.

℞. *Ol. nuc. mosch.* ʒiij. *cinamom. gr. vj.*
balf. Peruv. ʒij. *zibet. ambr. mosch. a. g. iij.*
ol. lign. rhod. cariophyll. *M. f. Balsamum.*
ana. ℈ß.

S. Balsam die Schläff darmit zu bestreichen.

Emplastrum ex pice nigrâ capiti impositum præmissâ frictione, commendat *Autor Enchirid. Practici, Medici*, cujus lineamenta ferunt duxisse *Fernelium*.

AQVÆ VITALI CORDIALI MICROCOSMICÆ multum nonnulli tribuunt; sed suspecti auxilii damnatur à *Nobilissimo Dn. D. Rolfinciô, chim. in art. form. redact. l. 3. sect. 1 art. 1. c. 7.* Loeum *aq. apoplectic. Langii, hirundinum, carfunculi, serpilli cum succ. destillat. N. M. destillat. supplent.*

Nonnulli hîc plura medicamenta, à proprietate juvantiâ contra hunc affectum proponunt.

Dominicus Leonus, cap. propriô scribit, quendam empiricum retulisse, succum consolidæ, præcipuè minoris, ad ℥ij. haustum, lethargicos & caro laborantes excitare, & omnem somnum profundum removere. *Idem scribit:* fel gruis tepefactum in vase plumbeô, & illitum occipiti, à somno excitare, myrrham item & thus deglutitum somnum discutere. Recenset

ſet ibidem etiam alia quædam ſub cervicali poſita, vel corpori alligata, quæ vigilias præſtant, ut ſunt oculi, cor & fel philomelæ, penna dextræ alæ merulæ, caput & cor veſpertilionis, oculi upupæ, quæ tamen videntur eſſe ſuperſtitioſa.

Hieronymus Mercurialis l.c. pulverem ſequentem exſiccantem & calefacientem *coronali* commiſſum inſpergendum præſcribit:

℞. *Flor. ſtœchad.* *majoran.* *ſerpilli* *origan. ana.* ℥iij. *caſtor.* ℈ij. *Fl. roſar. rubr.* *cariophyllor.* *arom.* *an.* ℈j.

Omnia pulveriſentur & ſuturæ coronali inſpergantur.

Ex DIÆTETICO. Si *à fumo & vaporibus*, convenit *mutatio aëris* in luminoſum, è frigido in calidum, vel vice verſa. Accendantur folia *lauri, juniperi, thus, aſſa dulc. gum. elem.* *Strepitus* fiant, *ſaltus, cantus inſtituantur*, eaque quibus vel æger delectatur vel contriſtatur, in medium vocentur. Scilicet ſi ſit vinoſus advocandi ſodales, qui Libero liberè litent, vaſa vinoſa ſubindè frangant, viciſſimque obſtrepant, increpent, jacentis Nemeſia incitent.

Grunniat, hic rudat, hic ſimulatâ voce coaxet,
& feriat ſtrepitu vociferante tholos.

Si fuerit *avarus*, illud *Horatianum* intonent, 2. *Satyra* 3. ſacco nummorum in menſam effuſo, utque plures ad numerandam accedant. Erigant hominem, & illud addant:

Ni tua cuſtodis, avidus jam hæc auferet hæres
Men' vivo? ut vivat igitur, vigila.

CAPUT X.

Auxilia extra paroxyſmum ordine producit chirurgica.

EXTRA PAROXYSMUM, ubi æger à ſomno fuerit excitatus, tentanda omnia ſunt, quo cauſæ foventes & generantes earum auferantur, id quod fit, cum oculum, vel ad humores, vel flatus, vel vermes, morbos etiam ipſos, quos concitat & excitat direxerimus. Proſpiciamus etiam ſedulò, ne nova

materia generetur & recidivam in currat æger. Hoc fit partium mandantium & recipientiũ evacuatione, alteratione & robore.

Ex CHIRURGICO *fonte*, quæ in actu curatorio ipsius paroxysmi producta fuêre, pari cum fructu administrari poterunt.

VENÆSECTIO divinum illud ac salutare remedium, an in carô nostrô conveniat, inter veteres & neotericos medicos lis est: alii enim illam pro curâ affectus, nunquam non adhibendam suadent; alii contra eandem ceu noxiam ac periculosam, semper rejiciendam esse, contendunt.

Jacchinus inter alias rationes potiorem hanc, cur veteres ejus non meminerint, adfert, quod cari materia frigidior sit quàm lethargi, quia non putrescit. Quâ ratione lethargum decrepitis non accidere docuit.

Poterunt autem aperiri *cephalica* & *mediana*, si TOTUM subitò deplendũ: *vena frontis*, si CAPUT per essentiam laborat; Si LIEN, *salvatella* ex Arabum mente: Si suppressi MENSES *septena* secabitur.

Quantitas, si corpus fuerit plethoricum, sit major: minor si serum & pituita dominium gesserint.

Tempus sit vernum & autumnale, nisi necessitas legem muter.

ARTERIÆ, si sanguis turbidior sit & vaporosior, caput per essentiam laborans, minores circa tempora itidem secari possunt.

CUCURBITULÆ cum scarificatione eandem ob causam singulis mensibus, scapulis, femori, natibus adfigi poterunt, in illis cumprimis qui his fuêre assueti.

HÆMORRHOIDES per hirudines, si à suppressis σύμπτωμα hoc descendat, ano applicatas, vel suppositoriis acribus, pannis asperis, aut lancetta aperiendæ.

FRICTIONES ad facilierem transpirationem, & quatenus attenuant & educunt humores, hoc in affectu non parvam præstabunt operam, inprimis calidis si fiant & instituantur linteis, cum vel sine balneorum usu.

FONTICULI sensim humores aqueos educunt, par-

tes-

tesque exiccando roborant. In *idiopathicô* suturæ coronali, & occipiti, in *symphathicô*, femori & brachio inurantur.

Materia est vel simplex incisio, vel allium cum aceto. *Lapis corrosivus ex lixivio cinerum clavellat. sale ♃r. & calc. viv. parat. vel ℞. butyr. ♁nii, ☿ præcipitat. rub.* lapis infernal.

VESICATORIA & SINAPISMI in serosa capitis colluvie sensim evocanda, dignam præstant operam.

Interdum ad operationes chirurgicas particulares descendendum, ubi causæ vehementia & vitæ periculum invitant. Si à contusione & subsidentia cranii, μυριοφύλακα adhibemus, cujus administrandi modum videsis apud *C. Celsum lib. de remedic. l. 8. c. 3.* Si fractura adsit aut fissura, si pus aut sanguis concretus lateat sub calvaria, *trepanationem* adhibere non erit incommodum.

Caput XI.

Apparatum pharmaceuticum enumerat evacuantem.

MEdicamenta quæ Græcis φάρμακα dicuntur, tam *evacuantia*, quàm *alterantia*, sub qua *corroborantia* & *confortantia* comprehenduntur, περὶ φυλάξεως ἕνεκα, affectus hic deposcit.

Ex EVACUANTIUM *communium sensibilium* numero

I. LENIENTIA alvum, qui eam adstrictam habent, omni jure præmittenda, quo viæ reddantur patentes, lubricæ, nihilque præparandis & educendis humoribus obicem ponat. Hæc commendavit *Hippocrates 2. aph. 9.*

Per OS, ἀνωτερικὰ, VOMITORIA, si *Galen. in com.* sequimur, sunt *Decoct. sem. malv. atriplic. mphan. cum oxymelit. Jus pingue muriatum. Elect. diasar. Fernel. Aq. vomitiv. de cortic. luteis nuc. jugland. Plateri.*

Per ALVUM κατωτερικὰ *Sir. rosar. solut. de cichor. cum. rhab. Passul. & Prunæ laxativ. El. lenitiv. Fl. Benedict. laxativ. Pilul. Francofurt. Aquapend. de aloë rosat. violat.*

℞. *Aloë rosata* ℈j. *diacrydii. gr. iij.*
℥ *anis.* *cum sir. de stœchade.*
succin. an. g. j. *F. pilul. n. xv.*
Conspergantur *pulv. cinam.* D. *in pixide.*
S. Laxirpillen auff einmahl.

Sumantur bis aut ter in septimana hora una ante prandium.

Per ALVUM *clyster.* ex Decocto *Herb. ʒ. emollient. betonic. origano. chamepyt. Sem. anis. fœnicul. Fl. chamamel. sambuc. centaur. min. additis melle rosato, Electuar. de cassia pro clystere. lenitiv. diacatholic. Ol. commun. chamamel. rut. costino. Sale communi.* ⊖*tr.* ℥*iat. tinctur.* ♀. *confectus injiciatur.*

Tenerioris ætatis, qui hunc respuunt, *Externè* venter *unguento de althæa*, pinguedine anserinâ inungatur, vel:

℞. *Ol. amygdal. dulc.* *salis.* ʒß
Pingued. anserin. *spec. hier.* ℈j.
Ungv. de althæa. *diacrydii gr. iv. M.*
Butyr. majal. an. ʒij. *F. linimentum quo umbilicus inungatur.*
Colocynth. ℈j.

Nonnulli corticem nucis dimidiæ juglandinæ excavant, linimento simili implent, umbilicoque imponunt, hocque aliquoties repetunt.

II. PRÆPARANTIA, quæ humores crassos attenuant, serosos attemperant, viscidos & lentos incidunt & detergunt. Si *Pituita* peccaverit, conducent *Decoct. aperitiv. maj. & minus* adjectis cephalicis, ut sunt ex *simplicibus, Fol. salv. rorism. fl. primul. ver. pæon. Rad. doronci. cyper. rot. Sem. carvi, fœnicul. Bacc. juniperi. macis. galang. cinamom.*

Ex *compositis Aq. betonic. salv. primul. ver. apoplect. carfuncul. aur. oxymel. Sirup. ex eisdem. de calamenth. hyssopo. Conserv. tunic. rorismarin. Elect. diacor. Essent. rorism. meliss. Spir. cochl. menth. Elixir. citri. juniperin. Sal. fœnicul. Fecul. ari. Mixtur. simpl. theriacal.* ♀*ris camphorat. Spir.* ⊖*lis.* ♂*t.* ⊕*l. Clyssus* ℥*ii.*

℞. *Es-*

℞. *Essent. meliss.* ℥ß. *Elixir. citri a.* ℥ij.
Aq. betonic. ℥vj. *M. in vitro*
Sirup. fl. tunic. *D. S.*

Digestiv *essenz* ein Löffel voll auff einmahl.

Propinetur mane, præmisso jusculo juris galli cum *speciebus cephalic. alterantibus.*

℞. *Mixtur. simpl* ℥ij. *Tinctur. fl. pæoniæ. a. gr. xv.*
Spir. ⊕l. ♂tis. ℈j. *M. In vitro.*
lil. convall. *S.*

Digestiv *mixtur* 25. Tröpfflein auff einmahl.

In jure carnis non multum salito.

Si admixta fuerit BILIS addantur *cichoraceæ:* Si MELANCHOLIA, *borrag. bugloß. Sirup. de pom. dulc. Tinctur. & arcanum ♀ri, Essentia ♂tis aperitiv.*

III. PURGANTIA ratione humorum peccantium variandæ sunt. Nota horum materia est, ex *Galenicorum* quam *Chimicorum* subsellii petita.

Nonnulli ad lethargi curam respicientes, suspecta reddunt in soporosis purgantia, adducta hac ratione, quod materia ad evacuandum admodum contumax sit. Videatur *Jacchin. in Com. ad Rhas. l. c.* Dissuaderi tamen purgatio nequit, aut avertat aut evacuet, viam etiam nobis monstrante natura, quæ contumacissimos humores hosce alvi fluore dissolvit, ut adnotatum *6. Coacar. Hipp. Com. 1. n. 33.*

Eô fine, si ventriculus mali fomitem occupat, *Avicenn. & Mesue.* VOMITORIA propinare jubent. Ejusmodi sunt *Sal. ⊕l. vomitor. Sal. ⊕li albi Grulingii. Succin. ℥ii. Gummi de Peru. Aq. Benedict. Rulandi ex croco metall. parat.*

℞. *♀ri emetic.* *Aq. fæniculi* ℥iij.
Mynsicht. gr. iv. *Sirup. de cinam.* ℥vj.
M. *S.* Brechtränckleín auff einmahl.

Inter καθαρτικὰ, purgantia per ALVUM propriè dicta *Trallianus l. c.* δαυκοειδιον i. e. scammonium, caroticis exhibere mandat. Ratio additur, quoniam μοχθηρὸν validum. Hunc imitari jubet *Hieronymus Mercurialis capite de lethargo.*

℞. *Diacrydij gr. iv.*
Castor. gr. iij.
Cum melle F. Pilulæ

Etsi enim scammonea purgat bilem, castoreum tamen adjunctum dubium omne aufferre subnectit.

In forma *boli.*

℞. *Elect. benedict. laxat.* ʒj. ♀. *vitriol. gr. v.*
Extract. diacarth. ʒß. *aleosacch. anis. q. s.*
Facul. bryon. gr. viij. *M. f. Bolus* ℭ.
Purgier Bissen auff einmahl.

In formâ *pulveris.*

℞. *Mag. scam. gr. xv.* *aleosacch. cinamon. iiij.*
gum. gutt. gr. vj. *M. S.* Purgierpülverle in
cran. human. gr. iv. auff einmahl.

IV. Generosum etiam remedium sunt DIAPHORETICA, quatenus colluviem serosam in toto corpore stagnantem expurgant, tùm, quod si à veneno introductus is fuerit, per poros cutis eliminent: Si carotica passio hæc cùm morbo gallico, lue venerea, febre maligna conjungatur.

Usus horum maximè materia concocta, & uti *Claudinus* existimat, post diuretica.

Quantitas major est purgantibus. Incipitur à minori & adscenditur ad majorem.

Forma prævalet liquidior, aut si solida desideratur, non sine sufficienti tamen vehiculo propinari debent.

Offerantur tempore matutino, stomacho jejuno. Continuetur sudor ad 1. 2. tres horas, prout vires ferunt.

Locus lectuli sunt, aut *stuphæ.* *Balneum Laconicum* his, qui in lecto sudare nequeunt, concedi poterit.

In usu sunt *Decoct. ligni sancti, sassafras, sarsaparill. chinæ.* Videatur citatus jam antea *Benedictus Sylvaticus.*

℞. *Rad. sarsæparill. minut.* *lil. convall. a. mj.*
concis. ℥ij. *Sem. fœnicul.* ʒvj.
Fl. primul. veris. *Aq.* ℔. *iiij.*

Macerentur h. 24. & coq. postea ad medietatem, cui in fine addatur

datur *agallochæ* ℈iv ß. Colatum servetur ad usum in loco frigido. Detur sudaturo manè ℥v. vel ℥vj. adjecta aq. cinam. Delicatioribus, & quibus magnæ potiones non arrident, *pulveres, spiritus potiones* offerantur.

Paradigmatis loco

℞. *Magist. C. C.*
lapid. bezoard. an. ℈ß.
♋. an. gr. vij.
bezoard. ℈.
ol. citr. gutt iij.
M. f. Pulvis. S. Schwitz-pülverlein auff j. mahl.

℞. *mistur. sudorif. cathol.*
Rolfinc. ℈iv.
M. f. Potio. D. S.
Schwitztranck auff einmahl.

DIURETICA, quæ abundantem in corpore humanô serositatem per urinam extrudunt, proponunt *Alexander Massaria in Praxi lib. 1. c. 13.* & *Mercurialis l. c.*

INTERNE

℞. *Terebinth. novies*
in aq. rosar. &
endiv. lot. ac coctæ. ℥ß.
Sacchari canthi ℥iß.
Ol. anisi,
fœniculi a. ℈ß.
M. F. pulvis.
D. in scatula. S.
Urintreibender Zucker/ 1. Quintl. auff j mahl.

Propinetur *in causa frigida cum vino fœniculino*

In causa calida

℞. *Seri lact.* ℥iiij.
Tinctur. flor. cyan.
calcatrip. an. ℥ij.
Sirup. acetosit. citri. ℥iß.
corall. rubr. ℥ß.
M. S. Urin treibende Molcken 2. Löffel voll auf zweymahl.

EXTERNE proderit *cataplasma* à *Mercurial.* descript. Item *Inunct. lumbor. cum ♋ scorpion. juniperin. chamomelin.*

Laudantur *Acidulæ* & *Thermæ*, quæ iisdem præditæ viribus sunt, *Egranenses, Swalbacenses, Carolinæ, Döplizenses*, & quæ in agro habentur Patavino ab *Aureliano* dudum in forum productæ.

De usu *balneorum* dubitat *Mercurialis*. Nequeunt planè omitti.

In-

Insensibiliter DISCUTIENTIA evacuant materiam debilem flatulentamque.

INTERNE offeratur *Decoct. acori, galangæ. Aqua zedoariæ. Fl. sambuc. cum vino. Spec. diagalangæ aromat. rosat. Aq. theriacal. cochlear. Malvat. faniculin.*

℞. *Aq. Zedoar. cum vino destill.* ℥iß.	*Mixtur. simpl.* ℈ß.
Sirup. de hyssop. ℥vj.	*M. f. Potio.*
Spir. cochlear. ℈j.	S. im trincken auff einmahl.

EXTERNE *Sacculi ex puleg. origan. Sem. fœnugræc. melilß. fl. chamomill. & ⊖le. communi decrepitato confecti.*

vel

℞. *Ol. chamæmelin.* ℥j.	*M. f. Unguentum*
Pingued. castor. ℥ß.	S.
ceræ parùm	Sälblein den Leib darmit zu schmieren.

Hûc pertinent cucuphæ, pulveres cephalici extensi, de quibus *cap. seq.*

Inter PARTICULARIA *evacuantia* eadem quæ capite præcedenti fuere nominata, valent.

Si senserit æger caput à pituitosa quadam materia ad gravari, *Aretæi* de sententia

APOPHLEGMATISMUM excitet *mastiche.*

Exhiberi etiam poterit *Sinapi*, quod dentibus detritum fortiter pituitam elicit. Item *Aqua nucis moschat. Radic. pyrethri* masticata. *Theriacam & mithridatium* degustet. *Tabaci* usum rejectat *Mercurialis*, qui tamen pituitosis prohiberi non debet, ubi regio & consuetudo altera natura ad hunc invitant.

Pituitam è NARIBUS elicit *succubeta* cum *aqua majoran.* Chimici dilaudant ⊕*lum album* dissolutum in eadem *aqua*, & naribus attractum, cavendum tamen ne fauces attingat, unde strangulatus forte metuendus. Hanc præcavent Practici repletione oris per aquam frigidam. Citius operantur errhina addito *euphorbio*,

For-

Fortius operatur

℞. *Radic. helleb. alb. in aq. vit. macerat.* ℥ij. *castor.* ℥ß. *succin. rutæ. a. gut. iij. mosch. gr. ij. M.* S. Wohlriechendes Nisepulver.

Videatur *Heurnius m. m. ad praxin. l. 1.* Improbantur autem cruda existente materia præsente febre & thorace malè affecto. Bene *Vir prælaudatus* monet: fortia ejusmodi non tam naribus intrudenda, quam pixidi indita, naribus admovenda esse.

Caput XII.

Alterantia & corroborantia ex utroque fonte desumta investigat.

ALTERANTIA & ROBORANTIA in usum quoque trahenda sunt. Hæc vim habere debent, non solum manifestis qualitatibus intemperiem viscerum mandantium & excipientium alterandi, sed, si qua adest à causis morbificis relicta, malignam labem occultâ virtute sive specificâ expugnandi, cœlumque microcosmicum ejusque intelligentias, spiritus opifices, virtute balsamica reficiendi.

Quamvis autem cuilibet visceri sua familiaria sint medicamenta, tùm *calida*, tùm *frigida*, *internè* & *externè* adhibenda, *Mithridatium* tamen & *Theriaca* ab omnibus fermè Practicis inter ἀντιπαρωτικὰ primo loco recensentur.

Præterea *Castoreum* miris laudibus deprædicatur in soporosis affectibus.

Hîc quæritur, an usus castorei in nostro affectu sit conducibilis? Nos cum *Tralliano* affirmamus, dicit enim *l. 1. c. 4.* ἐγὼ γὰρ οἶδα τῶν κρατηθέντων πολλοὺς ὑπὸ μόνου τούτου διαφυγόντας τὸν θάνατον: *ego verò novi multos, eo morbo victos solo ejus usu, castorei scil. mortem effugisse.*

Nicolaus Florentinus usum *aquæ vitæ* senibus commendat, qui etiam adsuetis damno non erit. *Avicenna moschum* in hac affectione extollit, ut corroborans, extra tamen paroxysmum. *Agricola. Com. in Popp. ol. Dna in Sp. V. ad gr. vij.* ⊙ *potabi-*

le. *Specif. ex cinnab.* ℞ii. suum quoque hic meretur locum.

℞. *Conserv. flor. anthos.*
pæoniæ. primul. ver.
an. ℥j.
Acori cond. ℥vj.
Nuc. indic. condit N.t.
Specier. diambr. diamosch. dulc. c. m. a. ℈ij.
Magist. perlar. comll.
corn. alc. an. ℈j.
Mistur. apoplect. Rolf.
Sp. cemf. nigr. a ℈ß.
Sirup. flor. tunic.
stœchad. arab. a. q. s.
M. f. Electuarium. S.

Stärckende Häupt Latwerge auff etzliche mahl.

℞. *Corn. cerv. spagir præp.*
ebor. sine igne præp. a. ℈ij.
Confect. hyacinth.
alkermes. a. ℈j.
Spec. diamarg. f. ℥ij.
sacchar. perlat. ℥vj.
ol. anis. fœnic. an.
gut. iiij.
M. f. Tragea. S. Stärck Trisenetb auff etzliche mahl.

Capiat æger manè cum buccella spir. hl. convall. impræ gnata cuspidem cultelli unam & alteram. Eadem à prandio & cœna etiam ex usu erit.

In *ventriculi debilitate.*

℞. *Spirit. mentb.* ℥j.
Brodii de acoro
condito ℥ß.
Essent. rorismar. ℥ij.
Spirit. ⊕li ♂t. parum.
M.

S. Magen mixtur. Cochleare unum mane, præmisso jusculo.

Si hepar in causa fuerit.

℞. *Spec. diarrhod. Abbat.* ℈iij
diatr. santal. ℈ij.
Rasur. ebor opt. l. vigat.
Comll. rubr. præp.
Epat. lupi præp. a. ℈j.
Sacchar. in aq. fl. cicbor.
& pæon. q. s solut. ℥iij.
M. F. l. a. Rotulæ.

S. Leberküchlein.

Si sanguis justo calidior & fervidior vaporibus caput repleat.

℞. *Tinctur. rosar. violar. purpur. a.* ℥iß.
Sacchari perlat. ℥iij.
M.

S. Kühlende Leber Tinctur Dentur duo vel tria cochlearia pro dosi.

℞. *Fol.*

Si *lien* causam subministraverit.

℞. *Fol. ling. cervin. N. iij.*
Cetrach. Mß.
Comat. agerati.
Flor. violar.
bugloß.
nasturt. indic. an. Pj
Rad. 5. aperitiv ana Piß.
cichor.
sarsaparill.
Cortic. fraxin.
tamarisc.
frangul. an. ℥ij.
Ligni sassafras.
Pulp. tamarind.
Passul. min. an. ℥ß.

Stent infusa in aq. agrimon. & veronic. per noctem in l. c. Cras manè coq. ad ignem lentum ad dimidiæ part. consumtionem
Colatur. ℥viij. adde Sirup. de pomis borsdorff. ℥ij.
Oxymel. scillit. ℥vj.
Arcani ♀ri ʒj.
Aq. antiscorbutic. Sennert. ℥ij.
M D. in fictili S.
Milztranck auff viermahl.

Si *ab utero.*

℞. *Elix. uterin. Croll. ℥ß.*
D. in vitro
S. Mutter *elixir.*

Dosis g. xxi. in aq. matricar. cum vino destillat.

In *caro epileptico.*

℞. *Pulv. contra convuls. epilept Sennert. ℈ij.*
Mag. Cran. human.
Cinnabar. nativ. an. ℈j.
Elæosacchari rorism.
cistri. meliß. an. ℈ß.

M. S. Pülverlein auff 4. mahl. Alle Wechsel des Monats zugebrauchen.
Vehiculum sit aq. flor. primul. veris, peoniæ, tiliæ &c.

In *vermibus.*

℞. *Sacchari in aq. tanacet. solut. ℥iij.*
ol. tanacet destill. ℈j.
C. C. usti ℈ij.

F. l. a. Morsuli.
S.
Morsellen wider die Würmer.

Si à morsu bestiæ, fumo metallico, calcis vivæ; ab usu hyosciami & similibus carus descenderit, addenda præscriptis sua cuilibet alexipharmaca erunt, ut si ab *hyoscyamo, pastinac. nasturt.*

ſturt. acetum Si à *cicuta, gentiana, ruta &c.* Si ab *opio*, *caſtoreum*: *à mandragora, radicula agreſtis &c.*

EXTERNA præter caput, partes quoque mandantes reſpiciant.

Cucupha parari poterit ex *rad. acori, cariophyllat. ireos, paon. cort. citri. flor. paonia, primul. ver. benzo. ſtorac. roſ. rubris.*

Ex eisdem ſpeciebus in ſubtiliſſimum pulverem redactis, vertex conſpergi poterit cum cubitum iturus eſt æger, cras manè iterum abſtergendus cum *furfur.* tritic. aut *lixivio* ex cineribus vitium herbarumque cephalic. parato ac ⊖le nitri alterato.

SUFFIMIGIA etiam erunt ex uſu ſupperius adſignata.

Proderit BALSAMI *Ferneliani* uſus, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. *Fl ſtœchad. Arabic.*
anth.
lavendul.
chamomill. Roman.
ſambuc. a. Mj.
Croci. orient. ʒj.
Baccar. Lauri ℥j.
Pyrethr.
Zinzib. alb.
Caſtor. opt. ʒij.
Pulveriſatis adde
Spir. V. rectificat. ℔iß.
Terebinth. Cypr. lucidiß. ℔j.
F. l. a. deſtillatio ſeparatum à ſpiritu oleum ſeorſim aſſervandum.
Oleo hoc vertex & tempora inungi poſſunt.

Ventriculo debili confert *unguentum ſequens:*

℞ *Ol. de puleg. d.* ʒij.
calam. arom. ℈ß.
cariophyll. aromat. ℈j.
menth.
nardini an. ʒj.
N. M. expreß. ℈iv.
Cera virgin. parùm.
M. F. unguentum.

Epati Cerotum ſantalinum; *Lieni* ol. de capparibus conveniet.

HYPOCHONDRIACIS & HYSTERICIS proderit *Epithema ſiccum ex Herb. abrotan. matricar. Fl. chamomill. Sem. aniſi, carvi, bacc. juniperi, addito caſtoreo.*

Galbanum in aceto matricar. diſſolutum ſuper alutam extenſum & umbilico impoſitum.

UNI-

UNIVERSALIS medicina, seu LAPIS PHILOSOPHORUM, si esset in rerum natura, aut in ullius hominis manibus, nae ille expromtâ operâ succurrere posset indigentiæ caroticorum, in actu curationis & præservationis, nullaque alia opus esset occupatione. Verum talis in desideriô magis & spe, quam in possessione & re, inania curiosorum eludit vota.

Nos interim contenti stabimus *Elixir. cephalic. Mynsicht. G. Rolfinc. Mixt. D. Michaelis. Tragem. ad effectus frigidos Quercetani Spec. diamarg. fr. & cal. diambr. diamosch. c. & s. m. Confect. alkermes*, quæ *Avicenna* teste, mortuos facit loqui. *Elæosacch. succin. rorismar. Spir. lil. convall. Fecul. pæon. Tinctur. & Sirup. corallor. rubr. Pul. antiepilept. Sennerti Aq. carfuncul. aur. cordial. Hercul. Saxon.* &c.

Caput XIII. & Ultimum
Diætam ordinat.

DIÆTA rerum *sex non naturalium* usu circumscripta, usque adeò necessaria est, ut hac sola ferè præserventur ægri à nova accessione. Videndum, *scribit Mercurial. l. c.* an à causis sit affectus externis aut ab internis. Si enim ab externis, omni studio auferendæ hæ sunt.

AER itaque sit lucidus, calidus & siccus, non fœtens, qui si non, parandus igne, accensis *ligno juniperivo*, *foliis lauri*, *olibano*. Vitentur venti boreales & aquilonii; loca eligantur sublimiora; à lunæ radiis cameræ custodiantur, quæ, auctore *Helmontio*, vitam enecat. Neque satis tutum sub solis radiis commorari fervente æstu, cum fundant & liquent, cerebrumque repleant.

VICTUS ratio, si adsit *febris*, *vulnus*, *inflammatio*, initio sit tenuis; si æger sit plethoricus, parcior cibus & potus convenit. Eligantur ἔυπεπτοι καὶ ἔυχυμοι, ad caliditatem & siccitatem vergentes. Repletio omni studio vitanda. Noxium est priori nondum digesto, novum assumere. Parcius cœnet, liberalius

prandeat. *Cibi* assati, carnes ferinæ, avium sylvestrium, pisces saxatiles, lucii, percæ, funduli, ni sicca prohibeat ventriculi intemperies, mensæ apponantur, nec enim ut censuit *Mercurialis*, in totum áb illis est abstinendum. *Condiantur major. rorism. salv. satureja, Sem. fœniculi, cumin. Rad. petrosel. pastinac. Aromatibus zinzibr. piper. cinam cariophyll. cardamom. mac. Salsamenta* parentur ex *nasturt. aquatic. cochlear. prosunt cappares, olivæ salitæ. Cems. nigr. condit. berber. & ribesia condit. poma citr. aurantia mala condit.* quæ furorem stomachi attemperant, hepati & cordi grata sunt. Caveantur vaporosa & humores pituitosos generantia, qualia sunt allium, cepa, lactuca, brassica & fungi. Caseus recens conceditur.

Ex obsoniis pira & poma dulcia, acida, nuces avellanæ, cidonia, pruna ungarica, nocere non possunt.

POTUS quondam mulsum erat, tantoperè decantatum ad affectus capitis à *Tralliano*. Hoc aqua diluendum & alterandum, habito ad causam morbi & partes mandantes respectu. *Cerevisia* quæ tentat caput, ut & *vina fortia*, non sunt usurpanda. Vina meraca vigilias inducere, exemplo Grammatici istius à *Galeno* citati, quidam probant. *Manlius* in *collectaneis libell. medic. pag. 774* virum quendam senem vigiliis multo tempore vexatum, jussu *Melanchtonis* vini liberalioris sub cœnam potu, somnũ recuperasse, adnotat. Præservativè vinum forte non nocet sobriè assumtum. In paroxysmo, cum tentet caput, abstinere usu ejus ab interno solemus, ligandi enim sensus vim habet.

Hordeatum, si adest febris, *cum Tinctur. rosar. & violar. Sir. de acid. citri* alteratum; *serum etiam, lactem caprinum* alteratum cum *Herbis cephalicis, hepaticis, spleneticis* prosunt; Item *sp.* ⊕*li*, ⊖. *Decoct. lign. sassafras. cichor. scorzoner*, præsentibus indicationibus suam conferent operam.

EXERCITIA imperanda sunt, repleto tamen minus ventre. Conducunt *cursus, saltationes. frictiones, balnea.* SOMNUS modum non excedat. Meridianus nocturno longiore deterior est. QUIES ambulatoria sit. *Urinæ* liberæ fluant. *Sudor* in assuetis non cesset. *Hæmorrhoides* & *menses* ne supprimantur.

AL-

ALVUS ingestis cotidiè respondeat, quod si non, per glandes, & emollientes cibos sui officii admonenda.

VENUS altera parte exsiccat, altera caput debilitat immoderata. Pituitosis confert, absente cruditate ventriculi. Non statim à cœna facta adornanda, neque ventre jejuno. Festina lentè.

ANIMI AFFECTUS placidiores nunquam observati sunt intulisse convalituris damnum. Hilaritas & gaudium excandescentiæ qualicunque anteponantur. Non videndum solummodo est ad id, quod morbum curat, sed etiam ad id, quod corpus à morbis præservat. Iracundiæ itaque, excandescentiæ & indignationi locus dandus non est, vel, naturam si furca expellere non licet, saltim infimus. Interdum enim prosunt venti, interdum pluviæ.

Dulce mori miseris, sed mors optata recedit,
ast cum tristis eris præcipitata venit.

Symbola amicorum frequentanda, & civiles conversationes minus negligendæ. Adeunda spectacula sunt, ducendæ choreæ, instituendi ludi. Modus autem in re qualibet, quem nosse optimum est.

His omnibus præsideat divina benedictio & manus, quæ, ut verbis *Pindari* utamur: Ολυμπίων *od. ult.* πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ, *omnium bonorum in cœlo dispensatrices sunt.*

Nos ne scribendi carus corripiat, filum abrumpimus, inque gratiarum actione ad DEUM facta subsistimus.

Non latet assiduo doctrina parata labore:
Hinc est, conspicuus quod sit honore novo.

Honoris causa f.

Michael Prunner/ Ratisb.

Sci-

Scilicet ampla suis statùit cultoribus ingens
Dona labor; sese, qui coluêre, colit:
Hoc DUMERE doces, defunctus ritè labore,
Cùm jam jure novus TE comitetur honos.

Volante calamo apponebat

Hans Friderich von Minigeroda/
Eques.

Pileus ut Lycii nuptam TIBI signat Hygejam;
Sic precor innumeras hæc TIBI jungat opes.

Sic Praeclarissimo Dno Doctorando, Fautori, Amico ac Commensali suo amantissimo, honoratissimo gratulatur

Hans Henrich Timaeus.

Præmia digna Tuis meritis fers. gratulor. ille
Causa novi semper sit TIBI honoris honor.

honoris ergo scripsit

Eccard. Erasmus Stammer
Eques.

Summa tenes Medici, quod pagina docta docebit;
Inde nec immeritò præmia summa capis.

Clarissimo Dn. Doctorando, Amico, Fautori & Commensali honoratissimo adgratulatur

Joh. Christoph. Lange / Jen.

FINIS.